

# The Digital *Viridarium consolationis* Project

## Pars 1: De peccatis Caput 3: De ira (13)

Idem (Gregorius):

Per iram iustitia relinquitur, sicut scriptum est:  
Ira viri iustitiam Dei non operatur, quia  
dum perturbata mens iudicium sue rationis exasperat,  
omne quod furor sugerit rectum putat.

Per iram concordia rumpitur.

Per iram lux veritatis amittitur

quia dum mens iracunda confusionis tenebras incurrit,  
huic Deus radium sue cognitionis abscondit.  
Per iram spiritus sancti splendor excluditur.

Nam ire sue stimulis accenso corde palpitant,  
oculi corpus tremit, lingua se prepedit, facies ignescit,  
ore quidem clamorem format,  
sed sensus quid loquatur ignorat.

Per iram iustitia relinquitur sicut scriptum est:  
Ira uiri iustitiam Dei non operatur; quia  
dum perturbata mens iudicium suae rationis exasperat,  
omne quod furor sugerit rectum putat.

Per iram gratia uitiae socialis amittitur sicut scriptum est:  
*Noli esse assiduus cum homine iracundo,*  
*ne discas semitas eius et sumas scandalum animae tuae.*  
Quia qui se ex humana ratione non temperat,  
necessere est ut bestialiter solus uiuat.

Per iram concordia rumpitur,  
sicut scriptum est: *Vir animosus parit rixas.*  
*Et uir iracundus effodit peccata.*

Iracundus quippe peccata effodit quia etiam malos  
quos incaute ad discordiam prouocat, peiores facit.

Per iram lux ueritatis amittitur  
sicut scriptum est:  
*Sol non occidat super iracundiam uestram;*  
quia cum menti iracundia confusionis tenebras incutit  
huic Deus radium suae cognitionis abscondit.  
Per iram sancti Spiritus splendor excluditur,  
quo contra iuxta uetustam translationem scriptum est:  
*Super quem requiescat spiritus meus, nisi super humilem*  
*et quietum et trementem sermones meos?*

Cum enim humilem diceret, quietum protinus adiunxit.  
Si ergo ira quietem mentis subtrahit,  
suam sancto Spiritui habitationem claudit,  
cuius recessione animus uacuus,  
ad apertam mox insaniam ducitur et usque ad superficiem  
ab intimo cogitationum fundamento dissipatur.

Nam irae suae stimulis accensum cor palpitat,  
corpus tremit, lingua se praepedit, facies ignescit,  
exasperantur oculi et nequaquam recognoscuntur noti.  
Ore quidem clamorem format,  
sed sensus quid loquatur ignorat.

Gregorius Magnus, *Moralia in Job*, 5.45  
(CCSL 143, M. Adriaen ed., pp.276-7, ll.21-47).